

Excellentissime ac Reverendissime Domine!

Ec litteris par Eminentissimum ac Reverendissimum Cardinalem Adamum S a p i e h a , Archiepiscopum Cracoviensem, mihi transmissis comperi Eminentiam Suam Reverendissimam Cardinalem Rodrigues, Archiepiscopum in Santiago, peroptare, ut sacerdos nostrae dioecesis Dr. Joannes Skowronek muneribus ipsi ab Eminentissimo Cardinale Rodriguez commissis adhuc per alterum triennium fungi possit.

Occasione notitiam Dri Skowronek transmittendi fretus certiorum ipsum feci nos non obstante notabili imminutione cleri nostrae dioecesis - solummodo 40% cleri calamitates belli feliciter superaverunt - in eius commorationem in Santiago usque ad finem anni scholaris 1947-48 consentire, si ipse tam diu in Chile commorari velit. Optamus vero, ut sub finem anni 1948 in patriam revertatur.

Excellentiam Vestram Reverendissimam humillime rogamus, ut de tenore nostrarum litterarum Excellentissimum ac Reverendissimum Cardinalem Rodrigues certiorum facere ipsique pro tam paterna cura et auxilio sacerdoti - exuli praestito quam maximam gratitudinem nostram exhibere velit. Incerti enim sumus, utrum et quando sensus gratitudinis nostrae in litteris Eminentissimo Principi immediate transmissis manifestare poterimus. Velit etiam Excellentia Vestra Reverendissima quam maximas et profundissimas gratias recipere pro magnanimi benevolentia durante bello nobis manifestata per varios nuntios, qui notitias nostras Sedi Apostolicae intimarunt nobisque semper solatium et adiutorium Sedis Apostolicae retulerunt. Omnipotentem adprecamur, ut nobis tempore opportuno personaliter Summo Pontifici Eiusque collaboratoribus profundissimum homagium sensuque gratitudinis filialisque amoris exhibere permittat.

Excellentiae Vestrae Reverendissimae humilis in Christo servus

(Stanislaus Adamski)
Episcopus Katoricensis

ARCHIVO HISKatowicils, die 16
PONTIFICIA Augusti 1946
UNIVERSIDAD
CATOLICA DE CHILE